



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Noctu igne, interdiu vero puluere posse significari. Cap. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

Noctu igne, interdiu vero puluere posse significari.

C A P. XIII.

RESTAT vt modum indicem? ecquid noctu igne, & interdiu puluere rerum nostrarum edere significationem possimus. Id autem duplici ratione potest euenire, vel igne aliquid ex improviso amicis conscijs demonstramus, vel quoties libuerit facum numeris, literas ad res denotandas opportunas ostendimus, vt longe videntes, motus & numeros annotātes sentiant. De primo modo legitur Medeam si Peliam occidisset, Argonautis promississe è specula se noctu igne, die vero fumo illud nunciaturam. Res itaq; quum ex voto successisset, Lunæ votum persolvere simulantem igne facto, accensis lampadibus sub dio, è fastigio, vt erat pollicita, significationem dedisse, talique nuncio excepto Argonautas Regiam inuasisse, occisisque custodibus, voti illam compotem effectam. Legitur & Magam occupato Paretonio vt facem amicam sub vespera, atque iterum summo mane eandem tollerent, cum speculatoribus composuisse, eaque ratione significationem factam esse, vt nuncius eo vsque, vbi Clus est, processerit. Amicis etiam extra ciuitatem degentibus reditus, & annonæ qualitas prodente igne potest nunciari. Constat hac arte Annibalem, vt à Polybio proditum, quum Agrigentini à Romanis obsiderentur, multis, crebrisq; per noctem ignibus, intolerabilem exercitus famem indicasse, eaq; de causa multos ex socijs annonæ penuria ad hostes defecisse. Cum Sinone etiam Argiui pepigerunt, noctu, Troianis somno solutis, ad Troiam accedentes signum daturum, vt equi laxatis claustris inclusos milites exponeret. Vnde Maro:

— *Flammis, cum regia puppis*

Extulerat, fatuq; Deum defensus iniquis

Inclusos vtero Danaos, & pinea furtim

Laxat claustra Sinon.

Possunt & facum indicio literæ demonstrari, quod à Polybio codice manuscripto est traditum. Edendi signa vel turrium fastigia, aliæque editione huiusmodi loca, vt

faces prospici possint, commodum præstabunt. Literæ bifariam, seu trifariam diuidantur, vt vndæ, vel septenæ cuiusque partis sint. Si erunt septenæ, primæ singulis, alteræ binis, tertiæ ternis facibus demonstrantur. Potest & quadrifariam numerus diuidi, verum in earum ostensione, motus varietatem attendere debemus: nam vna semel erecta, vel ostensa A, demonstrabit, eadem bis B, ter C, sic septies postremam primi ordinis G. Postmodum binæ semel H, totidem bis I, ter L indicabunt, sic & de reliquis eiusdem ordinis. Tum Q, ternis semel, R, iisdem bis, demum S ter totidem intinabitur, sic & de quatuor dicendum. In hunc modum mulierè specula ternis luminibus quinquies ostensis, mox binis bis, tum ternis bis. Rursus vero vno semel, eodem quater, postmodum quinquies ternis, deinde ter, totidem quater, *vir adest*, significabit. Possunt & lumina varie colorata ostēdi, si amici propinqui fuerint. Possunt & fumo inimicorum aduentum significare, vel aliud quippiam. Vnde factum est, vt Amilcaris dolo Agrigentini inter inimicos persequendum longius ab vrbe distracti, in insidiaria loca contextis hostibus, incensaq; sylua magnam cladem paterentur, ij siquidem fumo, quem à mœnibus surgere existimabant, rati se à domesticis reuocari, quum se conuerso cursu ad urbem reciperent, Amilcare Duce, insequentibus Pœnis, qui prius fugerant, trucidati sunt.